



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 159. Benedicti Oratores audit. Cardinalium ingressus in Conclave.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

**Sæcul. XV.** ad alloquium admitterentur. Verum ipsi  
A. C. 1109. indigne admodum habiti, atque a populo  
 turmatim confluente, portasque Ecclesiae  
 circumstante, cachinis & sibilis excepti  
 sunt, quin etiam ad locum Concilii, ubi  
 tres Cardinales ad illos audiendos depu-  
 tati aderant, deducti, nullo honoris signo  
 dignati fuere, quamvis Archiepiscopus  
 Tarragonensis, qui & ipse Benedicti Ora-  
 tor erat, exclamasset: hos esse Benedi-  
 eti XIII Pontificis Maximi Legatos.

## §. CLIX.

*Benedicti Oratores audit. Cardina-  
 lium ingressus in conclave.*

*Theod.  
 Niem. l. 3.  
 c. 45.*

Vix nomen Papæ adstantium auribus  
 insonabat, & ecce! illico Archiepi-  
 scopus a toto confessu clamoribus ludis-  
 que ignominiose exceptus tanquam hæ-  
 retici ac schismatici hominis nuntius pro-  
 clamatur. Nihilo benignius Joannes Co-  
 sta Mimatensis Episcopus itidem orator,  
 cum dicere cœpisset, habitus est. Sedato  
 tamen tumultu in crastinum audiri pete-  
 bant, quod & eorum precibus datum  
 fuit. Hi vero pudorem non ferentes  
 Comparere ausi non sunt, sed eodem die  
 insalutato hospite ad suos redierunt.

*id. ib. c. 51.* Die decima quinta Junii Sabbato ho-  
 ra matutina Archiepiscopus Lugdunensis  
 solemne

solemne sacrum celebravit de Spiritu san- **Sæcul. XV.**  
 cto; Novariensis autem Episcopus sermo- **A.C. 1409.**  
 nem habuit in hæc verba: *Eligite melio-*  
*rem, & eum ponite super solium.* 4. Reg.  
 c. 10. v. 3. Flexo in vesperam die Cardi-  
 nales in Palatio Archiepiscopali conclave  
 ingrediuntur, cujus custodia Philiberto  
 de Noyllaco Magno Rhodiorum Equitum  
 Magistro demandata est. Eo tempore  
 Pisis morabantur Cardinales numero vi-  
 ginti quatuor, Cardinalis enim Friasius  
 Hispanus & Cardinalis de Chalanto Sa-  
 baudus, dimisso Petro de Luna, non ita  
 pridem Concilio acceſſerant.

### §. CLX.

#### *Alexander V. eligitur Papa.*

Cardinales in Conclavi jam per integros  
 decem dies inclusi hærebant, tan-  
 dem vero feria quarta die vigesima sex-  
 ta Junii unanimi suffragio in sumnum *Platin. in*  
*Pontificem* salutabant Petrum Philargum *Alex. V.*  
 vulgo de Candia Ordinis FF. Minorum,  
 Cardinalem Mediolanensem dictum, ab  
 Innocentio VII Cardinalem creatum tit.  
 sanctorum duodecim Apostolorum, se-  
 ptuaginta annos natum, qui Alexandri V  
 nomen assumpsit.

O 4

§. CLXI.